



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectae

**Sandini, Antonio**

**Bambergae, 1753**

CLXXXIII. Clemens IV. Anno Christi 1261. Imp. Occid. Vacante Mich.  
Palæol. 5.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

rifiæ Sacramentum occulta tum non Ethn-  
cis solùm , ac Judæis , sed etiam Catechu-  
menis ac Pœnitentibus , illis tanquam pro-  
fanis , ne irriderent , istis , utpote nondum  
dignis , qui scirent & admitterentur ad my-  
steriorum communionem. Vide Joannis  
Grancolas Commentarium Historicum in  
Breviarium Romanum cap. §1. & Cardina-  
lem Petram in Comment. ad Constitut. A-  
postol. tom. 3. pag. 170. & 171.

CLXXXIII.

## CLEMENS IV.

ANNO CHRISTI 1265.

IMP. OCCID. VACANTE MICH.  
PALÆOL. 5.

Rayn. an.

1265.

§. 1.

§. 10. 13.

18. 20.

Spond.

§. 1. 2. 5.

**M**ensibus ferè quinque post mor-  
tem Urbani IV. anno 1265. *Gui-  
do Grossus Fulcodii Filius*, Cardinalis,  
& Episcopus Narbonensis, juris val-  
de peritus, concordi suffragatione  
absens subrogatur. (1) Nec diem,  
nec mensem electionis ejus apud ve-  
tustiores Scriptores invenio. Octa-  
vo Kal. Martias anno, quem modò  
nominavi, Pontificem jam fuisse,  
certum affirmo ex litteris, quas de  
suscepto onere tanto scripsit die eo-  
dem. *Hunc communiter Historia sic*  
de



describunt, quod fuerit vir magnæ probi-  
tatis & exempli, quia omnem statum mun-  
di expertus est, & in quolibet virtuosè se  
habuit, & quanto plus crevit in dignitate,  
tanto plus floruit in sanctitate. (2) Quàm  
fuerit suis minimè addictus indicio  
est epistola, quâ illos Romam ac-  
cedere vetuit injussu suo: idque  
multò magis ex eo perspicitur, quod  
filiae ejus duæ, quas susceperat ante  
Sacerdotium, propter dotis tenuita-  
tem nuptui non sunt collocatæ. (3)

Rayn. an.  
1266.

Carolus Andegavensem Comitem,  
fratrem S. Ludovici Regis Franco-  
rum, utriusque Siciliae Regem Ro-  
mæ inaugurari jussit in conditiones,  
octo millia unciarum auri ut pende-  
ret quotannis die festo S. Petri, equum  
item eximium albi coloris, utque de-  
ficiente stirpe ejus, Regnum redi-  
ret ad Pontificem. Novo Regi gra-  
tulatus est victoriam de Manfredi,  
qui in Sicilia tyrannidem occupave-  
rat, & Conradinum usurpantem ti-  
tulum Regis Siciliae innodavit anathe-  
mate. Mortuus est Viterbii anno  
1268. cum extremum Novembris ef-  
fet (4) Ità annos tres & menses novem  
Pontifex fuit.

§. 1. 18.  
Spond.  
§. 1. 4. 9.

Rayn. an.  
1267.

§. 4.  
Spond.  
§. 8.

Rayn. an.  
1268.

§. 54.  
Spond.  
§. 12.

AN.



## ANNOTATIONES.

(1) Longinus Hist. Polon. lib. 7. ad an. 1265. pag. 776. *Vix cum lacrimis Cardinalium vinci potuit, ut Papatum assumeret.*

(2) Ptolomæus Lucensis lib. 22. Hist. Eccl. cap. 29. & in Annalibus ad an. 1265. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1156 & 1148.

(3) S. Antoninus in Chron. part. 3. tit. 20. cap. 1. §. 11. *Dicitur etiam in laudem tanti viri, quod cum duas filias nobiles haberet, & nuptui tradere querens, nil tamen de patrimonio Christi, sed tantum de proprio, quod non maximum erat dotare vellet: attendentes ad divitias Pontificales seu Ecclesie, cum de illis nil expectare valerent illas in nuptas dimiserunt: unde & meliori sponso Domino Jesu Christo traditæ sunt, in virginitate Deo obsequentes.*

Mabillonius de Re Diplomat. l. 1. c. 14. §. 11. *Olim tam Brevibus, quam Bullis idem sigillum plumbeum apponebatur: nec scio, an multum ante annos quadringentos inventus sit annulus Piscatoris. De eo quidem nihil ego legi antiquius, quam quod refert Massonus in Clemente IV. qui anno 1264. Pontifex renuntiatus epistolam ad Agidum Grossum consanguineum suum ita conclusit: Non scribimus tibi, nec consanguineis nostris sub bulla, sed sub Piscatoris sigillo.*



gillo, quo Romani Pontifices in suis secretis utuntur. Nondum quippe in Brevibus usitatum erat istud sigillum, sed in litteris privatis, in quibus modo Pontifices symbolis gentilitiis utuntur. Certè quotquot vidimus ante id tempus minutas Pontificum litteras, quantumvis breves & exiles, sigillum plumbeum habebant appensum. Brevibus appositus est anulus Piscatoris, saltem Sæculo XV. qualia sunt Brevia Callisti III. & Pauli II. sub annulo Piscatoris. Anulus hic ceræ imprimitur, non plumbo, ut alia sigilla Pontificum. Vide annotat. 6. ad Hadrianum I.

(4) Sepultus est autem gloriosus Pontifex Viterbii, ubi tunc curia residebat, in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, ubi ipsemet sibi elegerat sepulturam. S. Antoninus in Chron. 3. part. tit 20. cap. 1. §. 11.

Wernerus Rolewvinck in Fasciculo temporum ad an. Ch. 1264. tom. 2. Scriptor. Her. Germanicarum Pistorii pag. 558. Benedictum sit dulce nomen Domini nostri Jesu Christi, & gloriosissimæ Virginis Mariæ matris ejus in æternum, & ultra. Amen. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Amen. Quicumque hæc legerit, toties quoties, habet tres annos indulgentiarum, quos Clemens concessit ob rogatum Ludovici Sancti Regis Franciæ solemniter.

CLXXXIV.